

inventionis eius honos est tribuendus, dialecticam quoque nuncupavit, quo nomine Socrates, Euclides Euclideique omnes, Plato atque Aristoteles usi sunt, apud quos etiam antea admonuimus, nusquam [314] logices nomen pro hac seu arte seu facultate  
5 legi. Dialecticam autem ac logicam non aliud esse quam rationis humanae rectum usum, ac veluti animae apud se dialogum ex Platone mox apparebit. Sed paucula quaedam praefari liceat ad hanc disquisitionem non parum facientia.

### Scientiae platonicae definitio [in margine]

10 Omnis Zoroastri antiquissimi omnium sapientum, Chaldaeorum, Assyriorum, Persarum, Indorum, omnis Mercurii Aegyptiorumque, omnis Hebraicorum, Esseorum, omnis Graecorum, Orphicorum, Pythagoreorum Platoniorumque schola animam humanam utraque temporis parte aeternam facit: a patre tamen  
15 intellectu in sempiternitate eam processisse asserit, a quo pro captu eius formas rerum omnium essentialiter secum asportasse tradit, eas formas descensu in corpus obscurari atque obtundi easdemque sensuum nunciis ac revelatione quadam excitari ad formarum externarum cognitionem: deinde per eas in se ipsam  
20 revolutione ad essentialium formarum recognitionem verti, quae nihil sit aliud quam reminiscentia quaedam: ideoque scientias nostras, reminiscentias, hoc est priorum sui ipsorum cognitionum resumptiones esse et credidit et astruxit.

### Scientiae apud Aristotelem [in margine]

25 Aristoteles, qui non Platoni solum, sed veteribus omnibus, quibus potuit dogmatibus sese opposuisse videri voluit, animam humanam non ab intellectu aut alia superiore essentia, sed uti reliquorum brutorum animas de materiae sinu videtur eduxisse, praeter unum intellectum, quem ait deforis nescio unde, accedere.  
30 Quem intellectum suorum sectatorum nullus satis potuit explicare, quis nam esset, divinusne an humanus, unicus an